

humana, minusque humanam patiuntur interpretationem. — S. Lig. *Hom. ap.* n. 21. Eadem ratione non potes, incepto iam tempore paschali, abire in locum, ubi communicare non poteris, quin prius ipsi praecepto satisfeceris. — Lacroix, n. 791.

3^o Non peccat contra praeceptum audiendi Sacrum, qui iter ingreditur praevidens fore, ut sequenti die Dominica Sacrum audire non possit. Non excusatur tamen, qui id faciat praecepto saltem moraliter iam urgente, nempe aut eodem die festo aut una alterave ante hora. Excipe nisi aliqua necessitas seu iusta causa intercedat.

4^o Peccant sartores et sutores, qui pridie diei festi non parant vestes et calceamenta necessaria, si id possint sine gravi incommodo. — Reuter, n. 199. — V. *Casus*, n. 103. et seq.

CAPUT VI.

DE INTERPRETATIONE LEGIS ET EPIKEIA.

§. I. De interpretatione legis.

112. — DEFINITIO. Interpretatio legis est genuina eius explicatio iuxta mentem legislatoris.

DIVISIO. Est 1^o *authentica*, *doctrinalis* et *usualis*, prout fit ab ipso Superiore, vel a viris doctis, vel ex consuetudine.

2^o *Stricta*, vel *lata*, prout fit stricte iuxta naturalem verborum proprietatem, aut large iuxta sensum benigniorem.

3^o *Simplex*, vel *extensiva*, cum verba vel ut sonant, vel ultra eorum sensum naturalem accipiuntur (1).

Regulae interpretationis:

I. Verba legis accipienda sunt iuxta propriam et usu receptam significationem, nisi quid absurdum aut iniustum inde sequatur.

II. In dubio de vero sensu, attendendum est ad mentem legislatoris, ad finem legis, et ad circumstantias vel antecedentes vel consequentes.

(1) Declarationes, quas A. *simplices* dicit, DD. appellare solent *comprehensivas*, quando scilicet sensus declaratus a verborum propria et usu recepta significatione non recedat; *extensivas* contra, quando ultra id, quod verba proprie et secundum sensum communem accepta denotant, aliquid concedant, prohibeant, dispensent, etc.

Inter eas autem hoc etiam discrimen intercedit, quod si *authenticae* sint, *comprehensivae* quidem promulgatione non indigeant; *extensivae* vero nullam vim habeant, nisi legitime promulgentur; quippe eo ipso, quod verbis legis non contineantur, iam sunt novae quaedam leges, atque adeo more legum promulgari debent.

III. Lex poenalis et odiosa in dubio est stricte interpretanda; lex vero favorabilis amplam interpretationem poscit. Hinc axioma: *Favores sunt ampliandi, et odia restringenda.* — S. Lig. n. 200. et alii omnes.

QUAER. *An lex extendi debeat a casu ad casum ob identitatem rationis?*

Resp. Affirm. quoties alias accusari posset legislator iniustitiae, vel imprudentiae. Hoc autem habetur in sequentibus: 1^o in correlativis, v. gr. inter sponsum et sponsam; hinc si sponsa liberatur a sponsalium obligatione ob longam sponsi absentiam, sponsus pariter ob sponsae absentiam liberatur; 2^o in equiparatis, ut sunt electio et praesentatio ad beneficium; item ova et lacticinia quoad legem abstinentiae; 3^o in connexis, ut sunt Diaconus et Subdiaconus. Item in contentis: quocirca qui potest testari, etiam legata facere potest. — S. Lig. n. 200.

§. II. *Epikeia* (Επιείκεια).

113. — *Epikeia* est benigna, sed aequa legis interpretatio, qua lex ad quempiam casum, quamvis in verbis legis non exceptum, sese extendere non censetur, quippe illum legislator aut non praevidisse aut comprehendere non voluisse prudenter creditur. Ita v. gr. si lex prohibeat gestare arma noctu, gestare possum, si exire debeam et inimicum meum ad mortem me quaerentem sim offensurus.

QUAER. *An Epikeia locum habeat, si Superior facile interrogari possit?*

Resp. Affirm., si observantia legis detrimentum afferat; secus in aliis casibus. — S. Thom. 2. 2. qu. 120. art. 1.

CAPUT VII.

DE DISPENSATIONE LEGIS.

114. — DEFINITIO. Dispensatio est relaxatio legis in casu particulari. DIVISIO. Dispensatio esse potest.

1^o *Licita*, vel *illicita*, prout fit iusta de causa, vel non.

2^o *Valida*, vel *invalida*, prout vel eximit a legis observatione, vel non eximit.

3^o *Absoluta*, vel *conditionata*, prout simpliciter, vel adiecta aliqua conditione conceditur.

4^o *Subreptitia*, vel *obreptitia*, prout tacetur in petitione aliquid manifestandum vel e contrario aliquid falsum asseritur (1).

Agendum 1^o de potestate dispensandi; 2^o de causis ad dispensandum requisitis; 3^o de cessatione dispensationis.

(1) Ita quidem plures *subreptionem* atque *obreptionem* definiunt. Ast alii utroque sensu utrumque adhibent. Vid. Reiffenstuel (In Lib. 1. Tit. 3. n. 154.) usurpant, aut etiam opposito viceversa sensu utrumque adhibent. Vid. Reiffenstuel (In Lib. 1. Tit. 3. n. 154.)

ARTICULUS I. — DE POTESTATE DISPENSANDI.

Principia. — I. Legislator dispensare potest 1^o in legibus suis, quia tantam habet potestatem ad solvendum, quantam habet ad ligandum; 2^o in legibus praedecessorum suorum, quia pari cum iis gaudet potestate; 3^o in legibus suorum inferiorum, quia hi ab ipso potestatem aut certe ipsi subordinatam illam habent.

II. Inferior non potest dispensare in legibus Superioris sui, nisi ex potestate delegata, et in quantum ipsi delegatum est vel ab ipso Superiore vel a iure, vel a consuetudine. Ratio, quia inferior in legem sui Superioris iurisdictionem non habet. — *Ita omnes.*

115. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An Papa dispensare possit in lege divina?*

Resp. Potest dispensare ex iusta causa in iis, in quibus ius divinum oritur a voluntate humana, ut in votis et iuramentis. In caeteris num ex gravissima causa vere dispensare possit, an tantum declarare ius divinum tunc cessare, *controvertitur* (2). In praxi parum refert. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 56.

QUAER. 2^o *In quibusnam legibus dispensare possit Episcopus?*

Resp. 1^o *De iure ordinario*, in omnibus statutis episcopalibus et synodalibus, et in legibus communibus cum singulis quoad casus, qui saepe accidunt, ut in plerisque votis, ieiuniis, abstinentia, observantia festorum, Officio divino in casibus particularibus, etc. — S. Lig. n. 190 (3).

Resp. 2^o *De iure extraordinario*, in caeteris legibus pontificiis ratione necessitatis, privilegii, aut consuetudinis legitima, si qua alicubi vigeat.

(2) Controversia ista ac DD. dissensio mere speculativa est, et potius ad modum loquendi pertinet, an scilicet adhibenda, nec ne, in casu sit vox *dispensationis*. Nam quod interveniente pontificia auctoritate tolli vinculum possit, quod iuris divini dicitur, utraque dissidentium pars aequae consentit.

Et sane qui contendunt, Pontificem dispensare posse in lege divina, his maxime utuntur argumentis, quod 1^o Dispensat in solemnibus Religiosorum professione, quae licet ex communi sententia sit iuris mere ecclesiastici, a quibusdam tamen putatur iuris esse divini; 2^o Aliquando dispensat, ut simplex sacerdos sit minister sacramenti Confirmationis; 3^o Aliquando dispensavit

(ut quidam volunt), ut in sacrificio Missae una dumtaxat species panis consecraretur; 4^o Dispensat in votis et iuramentis; 5^o Dispensat in matrimonio rato; 6^o Dispensat in residentia Episcoporum, etc. Porro qui Pontifici negant facultatem dispensandi in lege divina, non infitiantur, praedicta omnia ex Pontificis auctoritate fieri posse; sed negant, in his veram ac proprie dictam legis divinae dispensationem intervenire.

(3) Dispiciendum est sedulo, num Episcopus uti legislator in suis, an vero uti delegatus in communibus legibus, dispenset. In priori enim hypothesis etiam sine causa valide dispensat; in altera autem cum meras agat partes oeconomi, causa deficiente dispensaret invalide.

QUAER. 3^o *An Episcopus dispensare possit cum peregrinis in votis iuramentis, et communibus Ecclesiae praeceptis?*

Resp. 1^o *Affirm.*, si isti intentionem habeant commorandi in dioecesi per maiorem anni partem; quia cum contrahant quasi domicilium, eo ipso subditi fiunt. *Ita communissime*, ait S. Lig. n. 158., et Lacroix, n. 799.

Resp. 2^o Si vero tantum transeant, *controvertitur*. — *Probabiliter* affirmandum videtur, quia prudenter Ordinarii ipsorum consensus praesumitur. S. Lig. (*ibid.*) dicit hanc sententiam merito probabilem haberi. — Contradicunt tamen non pauci, quia non sunt vere subditi (4). — Alii tandem distinguunt; *affirmant* quidem pro legibus Ecclesiae; *negant* vero pro votis et iuramentis.

116. — **QUAER.** 4^o *An Parochi in aliquibus dispensare valeant?*

Resp. *De iure ordinario*, ratione consuetudinis possunt dispensare cum subditis pro casibus particularibus in ieiuniis, in abstinentia, in operibus die festo prohibitis, et aliis huiusmodi, quae frequenter occurrunt, et indigent prompta dispensatione. — *Ita communiter*. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 59.

QUAER. 5^o *An superior dispensare possit cum semetipso?*

Resp. *Affirm.*, si sit primarius; imo et secundarius, si habeat facultatem generalem dispensandi cum aliis. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 64.

QUAER. 6^o *An delegatus subdelegare possit?*

Resp. *Neg.* generatim loquendo, quia haec facultas *per se* non includitur in concessione Superioris, nisi expressa fuerit. Excipe tamen, si quis delegatus fuerit ad dispensandum in universitate causarum per modum officii; quia tunc ex interpretatione communi adest tacita Superioris facultas ad subdelegandum. — Ita S. Lig. n. 193. lib. 6. n. 366.

ARTICULUS II. — DE CAUSIS AD DISPENSANDUM REQUISITIS.

117. **Principia.** — I. *Ad licitatem* dispensationis semper aliqua causa requiritur. Ratio est, quia secus Superior non erit fidelis dispensator, aut erit imprudens. — S. Thom. 1. 2. q. 97. a. 4.

Idcirco peccat et qui in tali casu dispensationem petit: inducit enim dispensatorem ad rem illicitam, atque adeo peccat eodem peccati genere in petendo, ac legislator in concedendo.

II. *Ad validitatem* vero nulla causa requiritur *ex parte concedentis* si dispenset in sua aut in inferioris lege. Ratio est, quia ille, qui potest

(4) Haec ratio, ut patet, nihil concludit contra eos, qui potestatem dispensandi repetunt ex Ordinarii peregrinorum consensu, seu ex tacita illius ratihabitione de praesenti.

ligare, etiam solvere potest; secus autem, si in lege sui Superioris dispenset, quia non praesumitur accepisse potestatem temere dispensandi. *Ita communiter.*

III. *Ad validitatem ex parte potentis* requiritur, ut nulla sit in petitione obreptio aut subreptio essentialis, seu quae cadat in causam motivam, quia Superior non dispensat nisi sub tacita conditione, scilicet, *Si preces veritate nitantur.* — S. Lig. n. 183.

118. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An peccet graviter Superior dispensans sine causa in re gravi?*

Resp. 1^o *Neg.* probabiliter *per se*, quoad legislatorem; quia praeciso scandalo vel aliorum damno non apparet in hoc tanta deordinatio. — *Ita communiter* cum S. Lig. n. 178, contra *alios.*

Resp. 2^o *Affirm.* quoad inferiorem, quia non censetur delegatus ad dispensandum nisi iusta de causa: atque adeo si aliter faciat, graviter concessa sibi potestate abutitur (5). — S. Lig. n. 180.

QUAER. 2^o *An liceat uti dispensatione tacita vel praesumpta?*

Resp. ad 1^{um} *Affirm.*, modo ex aliquo signo prudenter colligi possit. — *Ita communiter.*

Resp. ad 2^{um} *Neg.* quia scire debet Superior id, de quo agitur; attamen licentia facile praesumi potest, cum agitur de rebus minoris momenti, et est iusta, non vero contra legem. — S. Lig. n. 187.

QUAER. 3^o *An liceat petere, vel concedere dispensationem in dubio, an causa sufficiat?*

Resp. ad 1^{um} *Affirm.*, quia non pertinet ad subditos de sufficientia causae iudicare, sed tantum rem sincere Superiori exponere. — S. Lig. n. 178.

Ad 2^{um} *Affirm.* pariter. Ratio est, quia secus onus Superioribus impositum intolerabile evaderet, et innumeris scrupulis tum quoad dispensantem, tum quoad petentes esset obnoxium. — S. Lig. *ibid.* (6).

(5) Intellige abusum et exinde culpam gravem *ex genere suo*; eiusmodi enim abusus, si contingat in re levis momenti, seu in lege, quae non obligat sub gravi, venialem culpam non excedet. Non solum autem peccat inferior temere dispensans in lege Superioris, sed etiam ille, qui tali dispensatione utitur. Ratio, quia talis dispensatio est invalida, et ideo legis obligationem non tollit.

(6) Hoc loco S. Alphonsus (Lib. 1. n. 178.) affirmat, *Superiorem posse di-*

spensare, si dubitet, an causa sit iusta... Secus esset (subdit, *si dubitaret, an adsit causa.* Quae quidem, si ratio totius contextus habeatur, dicta viderentur de legislatore, aut parem habente potestatem.

Alibi autem (Lib. 1. n. 192.) de praelato inferiori agens, docet, *eum posse dispensare in dubio, an adsit causa sufficiens ad dispensandum.* Quae verba non satis explicant utrum referantur ad dubium *an causa adsit*, an vero ad

QUAER. 4^o *Quid in dubio, an casus indigeat dispensatione?*

Resp. 1^o Non requiritur dispensatio in dubio *positivo*, seu cum probabile est, casum lege non comprehendi, ut patet ex dictis de probabilismo; extensio enim legis ad illum casum incerta manet.

2^o In dubio vero, an causa sit sufficiens ad excusandum a lege sine dispensatione, *controvertitur.* Quidam enim contendunt, requiri dispensationem. Alii tamen melius negant. — Ita S. Lig. n. 192 (7).

QUAER. 5^o *An sit valida dispensatio metu extorta?*

Resp. *Affirm.*, modo existat causa dispensandi, nec constet, in Superiore omnino dispensandi animum defuisse, alioquin autem quaevis alia absit nullitatis causa. — S. Lig. n. 184.

dubium *an causa, quae adest, sit sufficiens.* Et posteriori quidem sensu accipienda viderentur, ne haec sententia discordet ab iis, quae ex n. 178. allata sunt, eo vel magis quod secus maiorem potestatem videretur tribuere praelato inferiori, quam legislatori. Verum obstare videntur, quae habet Lib. 3. n. 251.; ubi dispensationem valere dicit, *si dubium sit, an adfuerit causa, vel an sufficiens:* quae cum dicantur de voti dispensatione, intelligi de legislatore non possunt. Superest itaque, ut quaeratur ratio omnia haec apte inter se componendi.

Interim (Lib. 1. n. 180.) perpendit S. Alphonsus doctrinam, quam tribuit Soto, Laym., Sanch., Azor., et Salmant., nempe *validam esse dispensationem, si Superior per errorem iustam causam arbitretur:* quae verba obvio sensu referuntur ad errorem, quo iusta putetur causa, quae iusta non sit. S. Doctor tamen videtur (*ibid.* n. 181.) ea intellexisse de Superiore, qui *sine causa* dispenset, et negat contra praedictos Auctores, dispensationem esse validam, sicut prius contra eosdem (n. 180.) dixerat, oppositum esse tenendum. Verum displicet, quod post Salmanticenses (*De Leg. c. 5. n. 71.*) praefatos Auctores exhibeat, quasi docuerint, validam esse dispensationem etiam absque ulla causa, utut bona fide, concessam. Nam isti, et quidem iis in locis, quae a Salmanticensibus indicantur, non de absentia cuiusvis causae loquuntur, sed de causa, quae

per errorem iusta iudicata fuerit, cum talis non esset. Caeterum S. Doctor in loco, ad quem lectores utrobique remittit, nimirum Lib. 3. n. 251. utramque hypothese complectitur: et invalidam pronunciat esse dispensationem, *si postea certum comperiat non affuisse causam, vel non sufficientem.* De qua sententia illud iuverit innuere, quod Palaus, quem S. Doctor (*cit.* n. 251.) se sequi profitetur, plures utique scriptores ad defensionem suae opinionis allegat; verumtamen nequaquam isti de hypothese causae, quae dein deprehendatur minus sufficiens, sed solum de hypothese nullius causae disserunt. Et revera si id extenditur etiam ad causam, quae deinceps comperiat minus sufficiens, erit fortasse, cui difficile id appareat, quod S. Doctor habet (Lib. 1. n. 192.), scilicet quod *dispensans non obligatur ad examen super plena sufficientia causae*, cum de hac dubitat; et rursus (Lib. 3. n. 251.) quod *homines post obtentam dispensationem inquirere non teneantur de eius valore.* Quomodo enim abesse potest sollicitudo examinandi et inquirendi de causae sufficientia, quando nulla habenda sit dispensatio, si illa forte desit?

(7) Haec quaestio in praecedentem recidere videtur, nempe, *Quid in dubio, an casus indigeat dispensatione?* S. Alphonsus autem breviter respondet (Lib. 1. n. 192.): *Sive dubium sit positivum, sive negativum, potest subditus uti sua libertate.*

119. **Resolves.** — 1^o Invalida est dispensatio, quoties in postulato irrepsit error circa causam motivam, aut circa obiectum ipsum dispensationis, sive oratoris aut alterius culpa, sive etiam ex mera inadvertentia id evenerit; si v. gr. ponas in petitione impedimentum affinitatis pro impedimento consanguinitatis, vel 3^{um} gradum pro 2^o; secus tamen si ponas 2^{um} pro 3^o, quia minor gratia in maiori eiusdem generis continetur.

2^o Valet dispensatio, si error irrepsit in rescripto Superioris v. gr. incuria secretarii, quia concessioni iam factae supervenit, et Superior concedit ita: *Fiat, ut petitur.*

3^o Valet dispensatio ex iusta causa concessa alicui improbo, quem probum reputavit Superior, etsi, cognita improbitate, non fuisset dispensaturus; ratio, quia prohibitas non reputatur causa motiva, sed mere impulsiva. — Valet etiam, si causa falsa tempore petitionis, vera fiat tempore concessionis; sed non vice versa. Excipe nisi quis motus fuerit ob prohibitam.

4^o Valet dispensatio, licet plures causae falsae, etiam motivae *per se*, cum causis veris et sufficientibus expositae sint; quia ubi causa aliqua *motiva* vera adest, sufficiens suppetit dispensationis fundamentum.

5^o Valet dispensatio concessa a Superiore, licet ab inferiore iam fuerit negata, nec huius negationis mentio fiat. — Imo probabiliter valet, etiamsi a Superiore negata, ab inferiore concedatur; quia potestas inferioris non est restricta per negationem Superioris, nisi hic expresse eam restringat. — Suarez, *De Leg.* l. 6. c. 22. — Lacroix, n. 811.

6^o Valet dispensatio pro aliquo incio aut etiam invito obtenta, quando necessitas hoc exigat. — S. Lig. n. 186.

ARTICULUS III. — DE CESSATIONE DISPENSATIONIS.

Dispensatio multiplici ratione cessare potest, nimirum 1^o cessatione causae; 2^o revocatione; 3^o renuntiatione.

120. **Hinc resolves.** — 1^o Cessat dispensatio, cessante causa motiva totali ante illius executionem; non enim tunc preces veritate nituntur. — Secus, si causa motiva cesset ex parte tantum, quia causa dispensationis adhuc superest. Hinc cessat dispensatio a ieiunio concessa ob infirmitatem, si in antecessum iam plene convalueris; secus, si infirmitas ex parte remaneat. — S. Lig. n. 196 *et alii communiter.*

2^o Cessat dispensatio, etiamsi causa motiva cesset post illius executionem, sed ante effectum seu usum gratiae inchoatum (8), nisi Superior gratiam absolute concessisse censeatur. — *Ita communiter.* — S. Lig. *ibid.*

(8) Quaestio esse potest non solum de causa cessante ante inchoatum usum dispensationis, v. gr. si ante contractum

matrimonium cesset causa, cur dispensatum fuerat, ab impedimento sed etiam quando usus gratiae inchoatus iam fuerit

3^o Dispensatio omnino cessat accedente revocatione expressa Superioris, quia obligatio vel deobligatio a Superioris voluntate pendet. Illicita tamen revocatio sine iusta causa foret. — Non cessat autem ob revocationem inferioris sine iusta causa, quia revocandi facultas in eius arbitraria potestate non est. — S. Lig. n. 197. — *Salm.* — Roncaglia, etc.

4^o Ad validitatem renuntiationis requiritur acceptatio Superioris quia solus Superior voluntatem ligare potest, sicut et a legis vinculo solvere. — S. Lig. *ibid.* *et alii communiter.*

CAPUT VIII.

DE CESSATIONE LEGIS

121. — Lex variis modis cessare potest.

1^o Per *abrogationem*, vel *derogationem*, prout omnino aut tantum ex parte aboletur: quemadmodum enim Superior legem ferre, sic eandem vel tollere vel coarctare potest.

si effectus sit divisibilis, v. gr. si post susceptos Ordines minores aut subdiaconatum cesset paupertas illius, qui hac de causa ab irregularitate dispensatus fuerat ad effectum suscipiendi Ordines sacros; aut si dispensatus absolute a recitatione Breviarii ob oculorum infirmitatem medicorum iudicio insanabilem, deinceps convalescat. Et quidem haud facilem esse harum quaestionum solutionem, palam faciunt dissentientes Auctorum de hisce opiniones (Vid. S. Alph. Lib. 1. n. 196.): quocirca scripsit Suarez (*De Leg.* Lib. 8. c. 30. n. 11.): *Fateor, rem esse intricatam et perplexam, ut solent esse haec res morales quando generales regulae tradendae sunt, quae vix possunt esse regulares, nedum infallibiles.*

Et S. Alphonsus quidem (l. c.) optime regulam suasit, quam et P. Gury hic inuit, ut inspiceretur, *absolutene* detur dispensatio, an *sub conditione*, si causa *duret*. Verum, ut ipse subdit, *difficultas magis urget, quandonam dispensatio censenda sit concessa absolute et quando sub tacita illa conditione*. Et sane quid defines, si quis dispensatur a voto Religionis ob infirmam valetudinem, aut a voto castitatis ad nubendum ob graves

tentationes, et dein mox convalescat, aut tentationes illae ante matrimonium, imo et ante ulla sponsalia prorsus evanescant?

S. Alphonsus (l. c.) praesidium quaerit ex alia regula, nempe censendam *absolute* datam dispensationem, si causa iudicari poterat *perpetua*, etsi forte deinde ipsa per accidens cesset. At mox ipse reiicit quaedam consecutaria, quae ex ista norma alii deducebant circa dispensatum a ieiunio vel Breviarii recitatione.

Aptius subsidium suppeditas Suarez (*De Leg.* Lib. 6. c. 20. n. 18.), dum distinguit dispensationes, quae indivisibilem habent effectum, tollendo inhabilitatem, impedimentum aut votum, et dispensationes a legibus successivum tractum habentibus ratione materiae, quae divisibilis sit et successivum habeat, ut in lege ieiunii quadragesimalis. In illis enim tota simul et absolute dispensatio conceditur. In his vero dispensatio est virtute multiplex, adeo ut pro successiva obligatione singulae quodammodo diebus singulis dentur dispensationes, et idcirco unaquaeque propriam causam pro suo tempore requirat: quae causa si quando deficiat, eo ipso ratio dispensationis cessabit.

2^o Per *cessationem causae motivae adaequatae*, seu finis totalis, ob quem lata est respectu totius communitatis; cessante enim causa legis, eam urgere legislator rationabiliter nequit.

3^o Per *desuetudinem*, seu per *consuetudinem contrariam* debitam vestitam conditionibus; tunc enim Superioris consensus saltem legalis accedit. — *Ita communissime.*

QUAER. 1^o *An cesset lex cessante causa finali in casu particulari tantum, id est respectu aliquot personarum?*

Resp. Neg., nisi servari sine gravi incommodo non possit; ratio, quia finis legis adaequatus respicit ea, quae communiter contingunt, non vero casus particulares; non ergo hi obstant, quominus finis legis atque adeo lex ipsa perseveret. Hinc a bannorum proclamatione non eximuntur sponsi, etsi certo sciant nullum subesse matrimonio impedimentum. — Suarez, Laymann, et S. Lig. n. 199.

QUAER. 2^o *An possit quis libros prohibitos legere, si nullum ex iis sibi periculum pertimescat?*

Resp. Neg. ob rationem modo allatam; insuper adde hallucinationis periculum. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 199. — V. Cas. n. 109. et seq.

PARS SECUNDA

DE SPECIEBUS PRAECIPUIS LEGUM

Agendum 1^o de lege naturali et divina; 2^o de lege ecclesiastica et civili; 3^o de lege poenali et irritante; 4^o de lege non scripta, seu de consuetudine; 5^o de lege favorabili.

CAPUT I.

DE LEGE NATURALI ET DIVINA

ARTICULUS I. — DE LEGE NATURALI

122. — Lex naturalis est divina voluntas, naturali lumine manifestata, praecipiens ea quae ad rectum ordinem servandum sunt necessaria.

Hinc lex naturalis nihil aliud est, quam lex aeterna naturae rationali per lumen naturale intimata, sive habitualiter per rectam rationem, sive actualiter per eius dictamen.

Obiectum legis naturalis est id omne, quod rationali naturae ita vel convenit, vel disconvenit, ut ab ipsius naturae Conditoris praecipii vel interdicti necesse sit: omnia ea videlicet amplectitur, quae legi aeternae sunt conformia (1). — Hinc versatur lex naturalis 1^o circa prima morum

(1) Duplex naturalis legis obiectum distingui potest *materiale* et *formale*. *Materiale* complectitur principia omnia honestatis sive primaria sive secundaria, quae

principia, v. gr. *bonum est faciendum; malum est vitandum; alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis*; 2^o circa principia secundaria morum, sive immediatas primorum principiorum conclusiones, ut sunt pleraque praecepta Decalogi; 3^o circa conclusiones mediatas, vel magis remotas.

123. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An obiectum legis naturae interdum ignorari possit?*

Resp. 1^o *Primaria* morum principia a nemine ignorari possunt. — 2^o *Item* conclusiones proximae, ita ut in iis dari non possit ignorantia invincibilis, nisi vel raro, vel ad breve tempus in rudibus et pueris. *Ita communiter.* — 3^o Ignorari autem possunt et saepe ignorantur conclusiones remotae. Hinc circa eas tot controversiae inter Doctores etiamnum agitantur. — S. Lig. n. 170. et seq.; *de Consc.* n. 8.

QUAER. 2^o *An dari possit ignorantia invincibilis circa malitiam pravorum desideriorum in eo qui cognoscit malitiam actus?*

Resp. Neg. saltem quoad desideria efficacia. Ratio est, quia velle quod malum est formaliter, et quidem cognitum ut tale, est velle quod Deo displicere noscitur, et proinde est velle ipsi displicere. Difficile autem est ignorari malitiam actus, quo quis se Deo displicere noscit. — S. Lig. *de Consc.* n. 9. etc. (2).

a primariis deducuntur proxime vel remote; quae tamen, velut ad supremum principium, reducuntur ad illud: *Bonum est faciendum, malum est fugiendum.* Non, tamen eodem modo obiectum legis naturalis sunt bonum et malum. Nam quidquid est malum per se et independentem a lege positiva, lege naturali prohibetur: at non vicissim praecipitur quidquid est bonum, sed solum illi boni actus praecipiuntur, quos necessario exigit hominis conditio secundum triplicem respectum, quem habet, ad Deum scilicet, ad se ipsum, et ad proximum.

Obiectum vero legis naturalis *formale* non quidem in convenientia cum natura rationali, non in perfectione eidem naturae debita, quae ideo quaerenda sit, neque in necessitate quadam aut convenientia cum felici statu naturae humanae sive in individuis, sive in societate debet reponi; *sed in ratione praeccepti a Deo hominibus impositi*; adeo ut dictamen rationis haberi debeat tanquam promulgatio divinae ordinationis, seu signum divinae vo-

luntatis aut praecipientis aut vetantis. Unde illud S. Anselmi: *Quicumque legi naturali obviat, Dei voluntatem non servat.* Quocirca concinne ac proprie definitur lex naturalis: *Iudicium intellectus de voluntate Dei ut supremi naturae gubernatoris, mala vetantis ac bona praecipientis.*

(2) S. Alphonsus (l. c.) oppositam doctrinam tribuit Sanchezio, et Carden., imo etiam Granado, et Croix, ut habent. Editt. 1748. et 1757. — Sed reipsa alia est quaestio, quam agitat S. Alphonsus, alia, quam tractant citati Auctores.

Quaestio a S. Doctore fit (Lib. 1. n. 9.), *An dari possit conscientia invincibiliter erronea in eo, qui cupit aliquid patrare malum, puta fornicationem, iudicans per errorem, solum desiderium fornicandi non esse mortale, si fornicatio de facto non sequatur.* Et subdit: *Affirmant id ut probabilius Sanchez et Cardenas, (in aliis edit.) Granad. et Croix.*

Verum isti AA. quaestionem ponunt tan-